

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM





DIVITIARUM  
EVANGELICARVM

*Disquisitio Quarta*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallenfis

Rectore,


*Respondente*

ANDREA MERCKELIO

Langenbernsdorffenfis Mifnico,

*Dominica IV. Adventus*

M DC XLVI.



HALLIS SAXONUM

*Prelo Hæredum Melchioris Oel*

*ſchlegely.*

DIVITARIUM  
EVANGELICARVM

Disputio Quarta

PRESIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasi Hallensis

Præfate

Respondens

ANDREA MERCURIO

Magister theologicus in Minico

Dominica in Adventu


MDCCXIII

—

HALLÆ SAXONIAM

Typo theod. Melchioris Oel.

typog.



ANALYSIS  
 EVANGELII  
 DOMINICA QUARTA AD-  
 VENTUS

*Ioh. 1, à v. 19. usq. ad 28.*

*Antipagmentum.*



*V*eteres hanc Domini-  
 cam nominarunt vacantem &  
 quidem ex Ps. 46. 11. ubi spiri-  
 tus sanctus exclamat: Vacate &  
 videte, quoniam ego sum Deus. Quibus  
 verbis & instantis Festi conditionem, quo De-  
 us homo nascitur, Ioh. 1, 14. 1. Tim. 3, v. 16.  
 ostendit; Et dignam preparationem, dum,  
 mirabilia sit facturus Deus iste 1. bonitatem  
 2. benignitatem in missione Filii intendit, & 3.  
 hostium confusionem, quod non alius nisi  
 Deus verus & Messias desideratus adsit, mani-  
 festo

58  
festo portendit. Venit enim Rex, uti habuimus  
DOMINICA I. ADVENTVS. venit iu-  
dex, uti DOMINICA II. ADVENTVS.  
venit veritatis index, uti DOMINICA III.  
ADVENTVS. Et venit deniq; velut vin-  
dex, uti presenti. Ut certi simus ejus celebra-  
turos nos esse natalitia, qui verus Messias. Idq;  
ostenditur etiam in Evangelio.

Sit itaq; TH. I.

**I**n quo habetur partim Iudæorum: legatio  
In qua proponitur eiusdem causa finalis, ubi  
tunc quis sit interrogatio, v. 19. In quo sum-  
matim, quod hoc sit testimonium Iohannis.  
Nempe illud valde egregium & excellens, uti  
innuitur per particulam η η γ α δ υ τ η. Dederat  
quidem aliquoties testimonium de Messia: sed  
vel in carcere coram discipulis paucis; vel in  
deserto, coram plebe & turbis; hoc vero pu-  
blice presentibus sacerdotibus & Levitis. Et  
ut alii Evangelista per singula facta Christi au-  
ditorem trahunt; ita Iohannes apertius, &  
à recentioribus testatur, ut pote qui cæteris sub-  
limius locutus, Non mortuos tamen, inquit  
Chrysostomus Homil. 12. in Iohan. sed vi-  
vum, & qui Christum presentem presentem osten-  
dit & baptizavit, in medium adducit. Non  
idcirco

idcirco ut servi testimonio Domino auctoritatem compararet, sed ut ad auditorum descenderet imbecillitatem. Sunt ergo testes ministri Ecclesie Christi. Sic etiam se vocat Petrus, 1. Pet. 3. v. 1. Sic Paulus Act. 2, 21. Sic Iohannes Apostolus, Ioh. 4. 14. Sic omnes Luc. 24. 48. Act. 10. 41.

2. Sigillatim est cum Persona mittentium, quod cum miserunt Iudaei ab Hierosolymis. Non autem vulgares Iudaei intelliguntur, sed primarii, quia ex Hierosolymis, ubi erat summum synedrium, non tantum constans septuaginta Iudicibus, ex domo Davidis electis, 2. Paral. 10, 8. sed etiam quadraginta & uno synedriis, uti Thalmudici testantur. Quo observemus in conscientia convictos fuisse tempus Messiae fuisse praesens, quare enim alias mississent?

3. Tum personarum missarum sit mentio, & sunt sacerdotes & Levitae. Non enim abiectos & infimae sortis homines, quemadmodum ad Christum cum vellent eum capere in sermone: tunc enim servos & Herodianos destinarant, inquit Chrysostronus, sed magna auctoritatis & nominis, quorum vel maxime intererat: Inchoata enim Baptismi institutione & cessante circumcisionis sacramento, quid

haberent Sacerdotes? cessantibus sacrificiis ob Iohannis de agno peccata mundi tollente concionem, quid haberent Levitæ: Vt discamus quarendum esse omninò accurate in Religionis negotio.

4. Tum est causa finalis, ut interrogarent Eum. Fuerunt siquidem diversa synedrii de Baptista sententiæ; Princeps ob sceptrum à Iuda ablatum. Gen. 49, 11. ob hebdomadas Danielis impletas; Dan. 9, v. 24. ob Iohannis statum, esse ipsum Messiam. Ideoq; ut certi forent legatos emittunt, ut qui Iohannem potius Magistrum habere, quàm Christum volebant, palam verò id dicere verebantur. Mittunt itaq; quia movebantur excellentiâ autoritatis eius, inquit Augustinus. tract. 4. in Iohan.

5. Et formalis, tu quis es? Non enim personam, sed officium desiderant: optime enim norant, cuius filius sit. Inq; eo non peccatur, ut æquè in vocationem uniuscuiusq; fideliter inquiramus. Non verò, uti Bzovius voluit, ut inquisitionem hæreticæ pravitatis instituamus, cum longè sit aliud de fide querere, aliud de vocatione.

6. Et Iohannis responsio, qua partim est negativa, ubi quod non sit Christus pro-



61  
testatio. v. 20. in quo in genere, per simplicem  
tum assertionem, confessus: siquidem affir-  
matio fundamentum est negationis: & eo ipso  
testari voluit, sincerè se agere & edere suam  
confessionem, prout debemus: quia necessa-  
rio fidem confessio comitatur, uti etiam Psal-  
tes hortatur Ps. 116. Christus, Matth. 5, v. 4.  
Qui enim confitetur Christum, eum iterum  
confitebitur & ipse Matth. 10, 32. Neq; veri-  
tas aliud aliquid erubescit, nisi solummodo ab-  
scondi, inquit Tertullianus. Alii malunt inter-  
pretari, quod idem significet quod professus  
sed profitemur ultro, confitemur rogati.

7. Tum per remotionem, non nega-  
vit. Ut ostendatur serio hoc Iohannem testari,  
non quemadmodum solent in Religionis nego-  
tio dissimulare, qui loquuntur verba complica-  
ta, similia auleis, quorum color non conspicitur  
nisi explicentur, sicut Themistocles ad Persa-  
rum Regem dixit.

8. Et per repetitam confirmationem;  
quod confessus. ubi animadvertit, inquit  
Chrysostronus Homil. 5. in Ioh. Evangelis-  
ta sapientiam, dum tertium idem dicit, ut &  
Baptista virtutem, & Iudeorum malitiam &  
stultitiam demonstraret.

9. In specie, non sum Christus. Vbi

non verbis, sed animo, quo illi perfunctabantur, respondet. Ne disputarent Iudaei in questione quis tu es? de Baptista vel origine, vel familia, vel nomine; ideo exactè respondet, de officio & dignitate, Et notāda est vox Græca ὄτι, que quadam indignationis nota videtur. Ut ostendatur arrogantiam esse fugiendam, & honorem alterius non esse sibi tribuendum, secundum monitum Siracidis c. 3. 2. Ideoq; cum non voluit appetere nomen Christi, factum est membrum Christi, inquit Gregorius Homil. 7. Quia servi officium est non solum Domini gloriam non aucupari, habet Chrysostomus Homil. 15. in Ioh. sed etiam à multitudine oblatum propulsare.

10. Et quod non vel Elias, vel Propheta, attestatio. v. 21. In quo summam, tunc interrogaverunt eum. Vbi colligitur ipsos malo animo fuisse & mala mente. alias non continuo ad aliam venissent questionem, tanquam in crimine deprehensi & rei, inquit Chrysostomus loco citato.

11. Sigillatim tum definitè per alternatam formulam interrogandi: Quis ergo es, tunc es Elias? quia enim Dominus Maleachi 4. v. 5. Promiserat se Eliam, antequam magnus Domini dies veniret, missurum; falso ar-  
bi-

63

bitrabantur in personā reversurum: ut & hodie  
etiam Judaei Eliae adventum sperant, quoties vel  
cibum sumunt, vel Pascha celebrant, vel par-  
vulos circumcidunt, uti habet Buxdorffius, in  
Synagoga cap. 7. & 2. & 13.

12. Et per Responſionem: ipse dixit  
non sum; Non enim erat ille, quoad perso-  
nam, licet quoad spiritum, & veritatem, Matth  
II, v. 14. Brevitas verò responſionis indigna-  
tionis nota est. Unde inquit Gregorius Homil.  
7, Iohannis fuit in spiritu Elias propter simili-  
tudinem vite in austeritate & doctrinae verita-  
te, non in persona.

13. Tum indefinitè per interrogationem:  
Et illi: Es tu propheta ille? Vbi vel propheta  
communis, secundum Augustinum intelli-  
gitur, vel singularis, qui Prophetico non solum  
spiritu ornatus, sed & Politico gladio instructus,  
qualis erat Samuel, 1. Sam. 4. v. 7. & c. 15. v. 23.  
Neq; facile de Propheta magno illo, cum sit  
idem quod Messias, intelligi potest, quia idem  
his interrogassent.

14. Et per responſionem quod respon-  
derit, non sum, scilicet talis non erat, quem  
ipsi eum esse putabant, & de quo querebant:  
neq; enim negavit, se non esse prophetam abso-  
luto, quia negasset veritatem, inquit Glossa  
ordinaria, sed negavit se esse illum prophetam,  
de

64.

de quo querebant, quippe major erat, inquit Chrysoſtomus, tract. 4. in Ioh. quàm Pro-  
pheta.

15. Partim affirmativa, ubi Iudeorum. Interrogatio v. 22. In quo interrogacionis forma; dixerunt ergo ei: quis igitur es? Et ita non sine ſtomacho, poſtquam vulpina nihil obtinuerant adulatione, leoninam induunt ve-  
hementiam, & gravius urgent. Ut diſcamus Sa-  
thanam verè tentare homines, & à dextris & ſiniſtris, illic variis adulationibus, hic ſeveris  
comminationibus.

16. Et finalis cauſa, in genere, ut respon-  
ſum demus iis, qui miſerunt nos. Ne fruſtra  
videantur legationem ſuſcepisse, & expediſſe.  
Ut notemus in officio commiſſo fidelitatem eſſe  
probandam, nec quicquam intermittendum,  
uſq; dum ſint expedita ſingula.

17. In ſpecie, quid dicis de te ipſo? Hic  
enim erat ſcopus legationis; cum nollet probare  
ſententiam vel opinionem eorum, ut tandem  
tamen ſuam profiteretur, urgent. Atq; ita ex-  
petunt categoricum reſponſum, ac liberum re-  
linquunt, quid de ſe ipſo profiteri velit. Mone-  
di ſunt enim omnes, ut candidè tandem respon-  
deant. Atq; hac formula etiam uſi ſunt apud  
Chriſtum, Ioh. 8. v. 53.

18.

65

18. Et Johannis aperta declaratio. v. 23.  
In quo respectu Iohannis assertio per titulum,  
quod vox clamantis. Vbi per Metonymiam effecti pro causa vox dicitur pro eo,  
quod sit concionator clamans. Quemadmodum Paulus vocatur vas electionis Act. 9.5.  
Et ita se nominat vocem, quia voce docetur,  
& quia ad docendi ministerium vocatus, ut  
in eodem vocem extolleret, & quosvis ad penitentiam vocaret: ut ostenderet non propria  
authoritate se hoc facere, ut innuit Augustinus serm. 20. de sanctis. Est autem vox clamantis,  
non quemadmodum quidam intelligunt, Christi vel Dei, quamvis non male, cum  
Deus per prophetas & Apostolos hortetur, 2. Cor. 5, 20. sed partim ita dicitur ob diuturnum  
Prophetarum silentium, uti monet Theophylactus, & ut omni abjecta formidine DEI adventum  
predicaret secundum Chrysostomum Homil. 12. ex cap. 1. Ioh. Predicator enim  
splendidus fuit insignis & clarus, uti monet Cyrillus lib. 1. In Iohan. c. 8. ut discamus  
non tacendum, sed clamandum esse Esa. 58, 1. siquidem sunt tres voces, uti docet Hugo de  
Clauastro, Pastoris Iuavis ad infirmos, dulcis ad morientes, & alta ad surdos dirigendos. Vt  
enim canibus mutis. Esa. 53, 6. Et si tacuerimus vel lapides clamabunt, Luc. 9, 4.

19. Per Locum quod in deserto : quia in deserto non solum fuit usq<sup>3</sup> dum ad populum Israël prodiret. Luc. 1, 80. sed & in deserto ministerii maximam partem peregit. Luc. 3, 3. Intelligitur autem desertum propè arcem Adunim inter Ierusalem & Iericho, versus ortum, quæ tribus distat Hierosolyma milliariibus, uti habet Buntingius. Et quidem ut ostenderet discrimen Veteris & Novi Testamenti: Et insimul etiam innueret, vocandas esse gentes, vacua enim timoris Dei pectora, & Spiritu sancto carentia denotantur per desertum, & de grege squalentia, uti monet Augustinus Serm. 20. de sanctis. Dum desertum est cor hominis pravis opinionibus imbutum.

20. Et respectu aliorum, quorum notatur debitum dum clamat: parate viam Domino, vox clamans est in deserto, quid clamat? dicit Clemens Alexandrinus in serm. ad gentes, vox clamans, rectas facite vias Domini. Estq<sup>3</sup> Allegoria Metaphorica sumpta à subditis adventanti principi viam comparantibus, quo denotatur pœnitentiam esse agendam; via enim Domini, qua ad homines ingreditur, est Pœnitentia, inquit Hieronymus in c. 1. Marci. Et via Domini  
ad

ad cor dirigitur, cum veritatis sermo humiliter intelligitur. Quisquis ergo mentem suam in superbiam dirigit; quisquis avaritiae stimulos anhelat; quisquis se luxuria inquinatio- nibus impolluit, cordis ostium contra veritatem claudit, & ne ad se veniat Dominus, claustra animi seris vitiorum damnat, uti habet Gregorius homil. 7: Propterea Domino paranda via est, & quidem recta. Hoc enim est, complanare & parare. Unde Ambrosius serm. 56. de Iohann. dicit, si quid in via mentis & in moribus asperum vel crudelitate durum, vel conversatione pollutum, mundent, componant, coequent, ut via domino pareatur.

21. Et testimonium; sicut dixit Esaia Propheta, ut ita tandem ignaros scripturarum acriter arguat auctoritate prophetica, ministerium sibi commissum exponens secundum Cyrillum l. i. in Iohann. c. 14, ut discamus non loqui extra scripturam, sed cum eadem.

22. Sic fuit Iudaeorum legatio, sequitur de Baptismi Iohannis disceptatio. per Effectum, dum praeimitur Legatorum denominatio v. 24. In quo describuntur partim legatio ex relatis, qui vero missi fuerunt ut ita certiores redderemus legatas consensu omnium esse abegandos.

23. Tum de eorum professione exqualitate, quod ex Phariseis. Qui inter sectas Iudeorum erant primarii propter eruditionem, pietatem, & auctoritatem. unde & primas sedes locorum obtinebant, & in cathedra Moysi docebant: interim maximi hostes erant Christi. Ita sapissimè pius Ecclesie Doctoribus obmurmuratur, & accuratius in eos inquiritur.

24. Et exponitur tum Iudeorum interrogatio, v. 25. In quo in genere interrogaverunt & dixerunt ei. Ubi questionem novam ipsorum verbis formalibus propositam formant, in statu judiciali propter qualitatem facti. Malè enim habebat legatos, quod ad Esaiam Iohannes eos remitteret. Non autem, quemadmodum Origenes voluit, ista adduntur ac si gemina fuisset legatio, & altera per sacerdotes & Levitas, altera per Phariseos facta fuerit, quia historiae contextus non admittit, sed ut primarios fuisse ostendatur.

25. In specie de facto interrogant: cur ergo baptizas? Ac si dicerent, cur tantam rem cum digno non sis, ausus es? consueverant enim, inquit Cyrillus lib. 1. in Joh. c. 23. semper ex protervitate Pharisei presentes contemnere & venturum simulato afficere honore, ut ipsi  
magni



magni apud Iudaeos essent, & divitias ingentes cumularent: ideoq; neminem præter se, honorari patiebantur.

26. Et subjecto argumento à proprio allegato, cum non sit Christus, neq; Elias, neq; Propheta, dum enim se nullum horum profectur, dubii jam consilii persona & simulatione omni abjecta aperte fraudulentam mentem his verbis detegunt, uti habet Chrysostomus homil. 15. in Johan. Vocationem ergo requirunt.

27. Et Iohannis aperta testificatio: Vbi & baptizandi ratio, v. 20. In quo summam, respondit & dixit. Benigne valde propter salutem eorum. Ut discamus ad interrogata respondendum esse.

28. Sigillatim, partim de se. Ego baptizo aqua: Vbi Antithesin verborum suorum qualitate sua exprimit, atq; ita ad verba invidia, respondit Iohannes verbis vite, inquit Ardentiùs. Et notandum aqua baptizandum esse, non igne, ut Calviniani, non oleo, ut Æthiopes, non arena, ut Iudæorum quidam apud Nicephorum l. 3. c. 26. Quia de aqua testatur Baptista hoc loco, Christus, Iohann: 3, 5. Paulus Eph. 5, 26. Petrus, 1. Petr, 3, 21. Iohannes 1. Ioh, 5, 8. Hoc etiam volunt vaticinia Ezech.

Ezech. 46, 1. Et exempla Christi. Matt. 3.  
Apostolorum Act. 2. 41.

29. Tum de Christo, per subintellectam  
Antithesin, quoad praesentiam, stat in  
medio, quem nescitis, ut ostendas differenti-  
am, quod non de futuro Messia concionetur,  
sed de presenti; simulque depingit Iudaorum  
malitiam, quod ipsum nesciant, dum non rece-  
perunt Ioh. 1, 11. Ergo venit Messias, dum ste-  
sit in medio eorum, dum se manifestavit in  
baptismo: nec alius expectandus, ut idem testa-  
tur. Sic igitur non opponit Baptismum suum  
Christi baptismati, dum idem Iohannis &  
Christi baptismus, ac per idem Elementum,  
& idem quoque fundamentum. Nec in ab-  
legatione discipulorum à Christo baptismus pri-  
mum institutus, sed promulgatus tantum, qua-  
tenus in universum mundum & inter gentes  
quoque propagandus. Neque ministri tantum  
externum faciunt, sed totum perficiunt Sacra-  
mentum.



30. Et personae Christi annotatio, v. 27.  
In quo describit personam quoad eius digni-  
tatem, & ab adjuncta conversatione ter-  
rena & humanitate. Hic ille est, qui me se-  
quitur: scilicet etate natalibus, & miraculis  
nascendo & predicando, uti habet Glossa inter-  
nearis.

31. Et

30. Et ab adjuncta aeternitate, qui mihi antepositus est, vel qui fuit ante me, ut qui fuit in principio Ioh. 1, 1. fuit ante Abrahamum, Ioh. 8, 58. fuit ab initio rerum creaturarum Prov. 8, 22. imo ab aeterno, Ps. 2, 7. ut non tantum dignitas, verum etiam aeternitas innoscatur.

31. Et quoad suam vilitatem, per comparisonem imparium minorum, quod non sit dignus, ut solvat corrigiam calceamenti. Est autem proverbialis locutio vilissimum denotans servitium. Non vero est tropica integra sententia, sed logica descriptio. Humilitas quoque insignis est, quippe quem dignatus erat DEVS ut capiti Christi manum imponeret. Ut discamus Deo soli omnem gloriam tribuere iuxta Ps. 115, 1. ut projiciamus coronas nostras coram agno Apoc. 4, 10. Si enim Johannes indignus, quo nos loco ponemus? inquit Chrysostr. Hom. 15. in Iohann. Exinde etiam Christum calcatum fuisse colligitur, quod est Marc. 6, 9. de discipulis dicitur est Act. 12, 8. Quod autem Christus habuerit calceamenta patet ex loco hoc Et Matth. 3, 11. dixit quod non dignus ὑποδήματα βαστάσαι, id quod alias fecerunt Chananai, uti notat Fagius in Deut. c. 25. Et Marc. 1, 7. legitur λύσαι τὸν ἰμάντα τῶν ὑποδημάτων  
solvere

*solvere corrigiam calceamentorum. Non enim convenisset vel asperitati & caliditati illius regionis, neq; dignitati, Quod verò habetur de Magdalena, ipsam pedes Christo lavisse, Luc. 7, 18. intelligendum id factum post depositionem calceamentorum, ita enim solebant discumbere, uti notat Scaliger de Emend. temp. fol. 534. Et illud Matth. 10. 10. de binis seu duplicibus, non novis, calceamentis explicandum, uti constat ex Marc. 6, 9. uti & Invenius interpretatur, nec plantis tegmina bina.*

33. *Et per locum subjectum ubi ista facta sint denotatio v. 28. In quo circumstantia, ad pleniorē fidem historiae faciendam. Hæc in Bethabara facta sunt, qui locus à notatione ab adjunctis vocatur. Significat autem  domo  transire, quod inibi transitus fuerit. Legunt quidam cum Chrystomo Bethania, alii Betharaba quia Johannes in deserto versatus legitur. Sed rectius Bethabara retinetur, quia ita habetur in Syriaca versione, in vetustis codicibus, in Nonno, Cyrillo, & aliis. Quamvis alii binominem locum arbitrentur uti Büntingius. Propterea autem eum locum nominat Evangelista ut magnam huius præconis fiduciam ostenderet, uti habet*

73  
habet Chrysoft. Hom. 15. in Iohann. & dilig-  
gentia sua testimonium faceret, quia solent ho-  
mines loca etiam singula, ubi res magna gesta  
aut exposita memoria diligentis commendare,  
uti monet Cyrillus lib. 1. in Ioh. c. 26.

34. Et facta quod ibi Iohannes baptiza-  
vit, partim ob Naami lepram 2. Reg. 5, 14.  
quia in baptismo spirituali liberamur lepra;  
Israelitarum per hunc locum terram sanctam  
ingressione. Ios. 3. quia in Baptismo sanctorum  
primus est introitus. Iosue, qui in hoc loco ex-  
altari cepit. Ios. 3. quia baptismus est indicium  
exaltationis; Gedeonis, qui hoc loco Medi-  
anitas vicii Iud. 7. 25. quia in Baptismo omnes  
nostri hostes vincuntur. Visitandi ergo sunt  
loci, ubi mirabilia contigerunt, sed sine supersti-  
tione, & officii neglectione. Alias in Deum  
peccatur, & periculum amatur.

## NOTÆ.

I.

Miserunt Judæi sacerdotes ) confi-  
dera vite sanctitatem, etiam ab im-  
probis suspici; ut discas sanctitatem a-  
mare.

II.

ET confessus est ) considera Johanne  
nem confitentem, ut discas verita-  
tem predicare.

III.

**N**on sum ego dignus ) considera  
humilitatem, ut discas eandem imi-  
tari.

---

### CASUS CONSCIENTIÆ.

An ad omnia interrogata sit di-  
rectè respondendum?

**N**on videtur, siquidem Johannes in-  
terrogatus an sit Propheta; an Elias?  
negavit: Et tamen fuit, dum major Pro-  
phetâ etiam Propheta, quia comparatio  
versatur circa eadem. 2. Expresse Elias  
vocatur Matth. 11. LL. quoq; videntur  
approbare; dum si quis non juridicè inter-  
rogatus, negant esse directo respondendum.  
Neq; quis tenetur contra se exhibere id, per  
quod sibi negotium fiat, l. nimis grave 7.  
C. de testibus & l. 10. 4. ff. de quæstion.  
Menochius Conf. 100 n. 219. In inter-  
rogationibus de Criminali & injurioso Inter-  
rogatorio, nemo tenetur respondere. Myn-  
sing. 3. n. 13. Attamen 1. sermo noster  
esse debet est vel non. Matth. 5. v. 34. 2.  
Parati esse debemus cuilibet petenti, 1.  
Pet.

Pet. 3. v. 15. 3. Fura volunt ne quis men-  
 tiatur. l. 11. §. 3. ff. de Interrog. imo pu-  
 niendum est mendacium. l. in rem ff. de  
 rei vindic. Cum mendacium praeferi ve-  
 ritati nulla ratio patitur, nec aequum est.  
 neq. rationabili animali convenit. Con-  
 stitut. Leon. 19. Obligatur enim unus-  
 quisq. ad veritatem & personaliter & rea-  
 liter: quando est necessarium, justum &  
 utile. Quicquid verò contra bonos mores  
 nec facere nos posse credendum est, l. 15. ff.  
 de Condit. Instrum. Non autem contra  
 conscientiam quid occultandum. At si  
 persona quid ex levitate vel curiositate  
 quærat argumenta superiora valent potissi-  
 mum in consiliis. Unde notat Hipp. de  
 colli: n. 371. ex Festo consilium à silencio  
 deducit, & consiliorum renunciatores ut  
 trās fuga vivi exuri, & ut fures sunt suspē-  
 dendi, l. si quis 38. §. 1. ff. de Pœnis. Sic  
 erranti vel ex injuria, vel ex malitia non  
 semper veritatem dicere tenemur. Jacob  
 obedivit matri recte suadenti, non patri er-  
 ronea querenti. Sauli parenti, ubinam es-  
 set David, filius Jonathan non veritatem  
 sed

sed alium locum nominavit 1. Reg. 20, v. 28. Sic obstetrices Egyptia Pharaoni aliam causam allegant, Exod. 1, 20. Quod Deo non displicuisse patet, quia ipsis benedixit & domos edificavit. Sic Abraham Abimelecho fatebatur esse sororem Gen. 20. 2. Gibeonitæ absq[ue] astutia Israëlitarum amicitiam sibi comparare non potuissent, Joh. 9. Rebecca Gen. 22. Jehu 2. Reg. 10. 17. Johannes a. rectè respondit: confessus enim & non negavit, dum illi de Prophetis propriè loquendo quasi verunt: Ille autem monstrabat digito, non nunciabat oraculo. Dum Major erat Prophetâ. Deinde non erat Elias in persona, licet in virtute, Matth. 11, 45. Responsio enim fieri debet secundum interrogationem l. de ætate s. quod 12. ait post ff. de interrogat: Jurâ in contrarium allegata, loquuntur cum conditione, si sine peccato fieri possit. Unde in tempore utilis est simulatio assumenda. 22. q. 2. c. utilis. Meisn. part. 3. sob: Phil. Sect. 1. c. 7. Balduin. lib. 4. c. 11. Cas. 18.





**E**rrat Apella notas Messia quando Iohanni  
Applicat, & querit num sit is, anne sec 9;  
Non sum Messias, nec Elias, ille ve vates,  
Infit, quem Moses dixit, id omne negat.  
Nulla mihi nota dictorum modo convenit. At  
quis

Sim tamen, id possum dicere, quisq; notes,  
Vox sum clamantis, non audis? clamat eremus:  
Ab Domino faciles usq; parate viam.  
Et baptizo tamen, sed aqua, stat in agmine ve-  
quem vos nescitis, sustinet iste notas. (stro  
Me sequitur, sed & ante fuit dum secula nescit  
Cuius non dignus solvere lora pedum.  
Talia MERCKELIUS proponit. Pergat !eritq;  
Iohanni geminus, quin nota certa Dei.

ita testatur

**GUEINZIUS.**

---

**V**igore fortis esse præclues mentis,  
tuerierq; dogma masculè, cunctos  
Christo rotantes cuspides sub Heroe,  
salutis omni momine addecet sacrum,  
quicumq; fronde cingier triumphali,  
tandemq;, quando bellico strepet concha  
clangore, coram sede iudicis Christi  
sisti beatis, cælicique gustare  
referta succo pocla nectaris, tota  
ex mente poscunt. hanc & Agnifer Vates,

nil

nil extimescens impetus citos Regis  
minasq; vulgi, fortitudinem constans  
ad ultimum usque fassus est vale; ac inde  
beata, quæ MERCKELIUS notat cuncta,  
cæli aptus ora. Dignus ergo MERCKELI,  
pernice quo pennata te trahâ postes  
utrosq; Phœbiadusq; Fama sublimet.

*f. festina manu*

SAMUEL STURMIUS L.L.

**T**empus illud, osculare Christiane jugiter,  
Dum IOHANNES intra eremum fissidens  
piissimus.

Ore proclamat sonoro suspicatorem novum,  
Et facit viam ad salutem nunc iuro cœlicam,  
Atq; presagit futurum, crebriter ruspantibus  
Legis & Sacrum peritis, mox repente maxi-  
mum.

Ista prædixit IOHANNES: atq; notat MERCKE-  
LIUS

Enthei torpere cum non vult sacrata dogmata  
Innovat notaq; Vatis ne profata nubilent  
Prisca quæ fuit verustas ceu notatu cedrina.  
Nunc bonis succinge mentem, nunc notis &  
applicat.

Enthea tibi IOHANNIS mentis hærebit nota.

Georg-Christof Dockhorn.

02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



VΦ 17




EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C





Farbkarte #13

B.I.G.



TIARUM  
ELICARVM

*itio Quarta*

ESIDE

O GUEINZIO

i. Hallensis

ctore


ndente

MERCKELIO

orffensi Misnico

IV. Adventus

XLVI.



AXONUM

Melcbioris Oel

rely.

